

40. Militans Ecclesia est, quæ doctrinam Christi professa, sub eiusdem Christi signis, hoc in mundo, contra potestates adversarias, nempe Diabolum, peccatum, carnem & mundum pugnare necessum habet.

41. Hæc Militans Ecclesia rursus vel aestimatur ex signis visibilibus, cultu DEI, prædicatione externa verbi, Sacramentorum ritibus sub aspectum & iudicium nostrorum oculorum venientibus: Et hinc visibilis appellatur.

42. Vel præsiore consideratur modo, quo sensibus externis minime patet, sed soli Deo, & Servatori Christo est cognita, qui fidem cordis, & intimos ejusdem scrutatur recessus, ac oves suas probe novit, Ioh. 10, 14. Et idè Invisibilis respectu nostri dicitur.

43. Hæc solis constat Electis, ac nihil magis admittit impios aut hypocritas, quàm beatitudo cœlestis damnatos recipit: ac proinde cœtus credentium sive prædestinatorum ad vitam æternam definitur.

44. Visibilis verò eorum omnium complexus constat, qui eadem fidei Christianæ professione, & eodem Sacramentorum usu, saltem aspectabili, & sensibus ipsis perceptibili colligati sunt: ac proinde congregatio vocatorum, amplectentium verbum Dei, utentium Sacramentis describitur.

Dicitur